





1799.

- \* 1. Bestucheff - Runius, Iohannes Henricus Tudorica, e gente nobili de Corloniq. Commentatio de iuri detinuere academicae praestantia. Programma, quo decanus suiores celestesque anessores quatuor facultatum et orationem memorie Iohannes Henricus Tudoricae, Controversia de Bestucheff - Runius e gente de Corloniq. -- sacra invitant.
2. \* Bonnius: Responsa iuris q9 et 100. Programma quo ordinarius senior ac reliqui anessores prof. memoriam Bonianam ... recolendam indicunt.
- \* 3. Kregelius de Sternbach, Carolus Fredericus: Responsa iuris 101. Programma, quo ordinarius senior et reliqui anessores prof. reliqui anessores fac. iur. memoriam ... Coss. li. Frederici Kregelii de Sternbach indicunt.
4. Schulzius - Gudorfius: Responsa iuris 97. Programma, quo ordinarius senior et reliqui anessores prof. iur. memoriam Schulzio - Gudorfianam celebrandam indicunt.

1794.

5. April, Name Augustus: De causa matrimonii  
annullandi. typ. altera.
6. Bauer, Heinrich Gottlieb: pro. praecepit Marios:  
De natura bonorum uxoris receptiōrum.  
Programma, quo solemnia doctoralia Christiani  
Friedericis Erhardi indicit.
7. Biemer, Christian Gottlieb: De iuri dictione,  
iudiciorum et retributib. metallicis ex jure  
imprimis Saxonicis Electorali.
8. Blumener, Heinrich: Scatini iudiciorum Criminalium  
ad legem Carolinam prævalens.
9. Einert, Christianum Gottlieb: De eo, quod juris est,  
im primis in Saxonia, circa iurum latem a tribubis,  
quae privilegio nitiunt. p. 3. Programma, quo solemnia  
doctoralia Tomus Monssen indicit.
10. Erhardus, Christianus Daniel: De Constitutione Carolinae  
usw. in forum Thoriuum introducto.

1799.

11. Vincet Fischbeck, Iosephus Christianus: De paucis infirmitatibus  
bonis leviorib[us] libyantibus in causis civiliis b[us]  
jure servicio Electorali statutis. Comitatio  
arbitr. proc. Rec. 17. 1682. et 3. Programma, quo  
ad orationem suspiralem invitata.
12. Munsen, Iosephus: De navibus populorum belli  
tempore mediorum haud capientis
13. Prax, Mauritius, de: De reticulis cryptogra-  
phis. Programma, quo ratione dictum in-  
dicatur
14. Sockelius, Iosephus Curatus: De vi militare  
veterum Germanorum herbarum in  
jure Germanico privato conspicua.
15. Stockmannus, Augustus Cornelius: De famosis  
libellis.
16. Weber, Fredericus Benedictus: De studio rei publicae







10353  
1799, 14.  
DE  
VI MILITIAE  
VETERVM GERMANORVM  
HERIBANNARIAE  
IN IVRE GERMANICO PRIVATO CONSPICVA  
EXERCITATIO PRIMA

---

SCRIPSIT .  
ET  
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
IOANNE CONRAD O SICKELIO  
I. V. D.  
A. D. XXIV. JANVAR. A. P. C. N. MDCCXCVIII  
AD DISPVLTANDVM PROPOSIT  
STEPHANVS CAROLVS RICHTERVS  
LIPSIENSIS.

---

LIPSIAE  
TYPIS EXSCRIPSIT CAROLVS TAVCHNITIVS.

DE

AL MILITIAE  
M. GERMAMONI  
HABITATUR  
IN TERRA OFENNIACO TRIVATO COZETIO  
EXCEPITATIS VILLA

SCHEFFER

TH

HERSTRA HINCOCOMPTORUM QVIDIZ  
TATIBOT  
TITLESID  
IONNE CORNARDO SICERIO  
L. A. D.

ANNO XXXII. MENSE A. T. E. M. MDCCCLXII

AD LIBERIA/UTRORUM

SILENTIAZ TITOLAZ HICHTHEZ

EXCEPITAT

MAESTRE

EXCEPITATIS VILLA

DE  
VI MILITIAE  
VETERVM GERMANORVM  
HERIBANNARIAE

IN

IVRE GERMANICO PRIVATO CONSPICVA

Rem militarem in Germanorum, hominum bellicosissimorum, legibus moribusque condendis atque efformandis suminam vim exseruisse, tam multis historiarum iuriumque declaratur monumentis, ut neminem, nisi patrii iuris plane ignarum, latere posse videatur. Neque defuerunt inter iurisconsultos magni nominis viri, qui in legum Germanicarum originibus inuestigandis occupati, rei militaris rationem minime sibi negligendam ac despiciendam censerent: quibus se adiungere haud dubitauit Georgius Ludouicus Boehmerus, singulari

A

libello, *de iuribus ex statu militari Germanorum pendentibus*, in lucem dato <sup>a)</sup>). Sed hi plerique omnes, ne Boehmero quidem excepto, haudquaquam qui hic patebat campum emensi, in eo substitisse reperiuntur, ut publica et beneficiaria iura fere sola inde repetere et illustrare studerent, reliquorum iuris nostri capitum, vel nulla omnino, vel admodum leui ratione habita. Quod cum animaduertissemus, operaे sane pretium nos facturos esse arbitrabamur, si, potiora quae-dam priuati iuris Germanorum capita perlustrantes, quam vim in singulis constituendis militiae forma habuerit, paullo diligentius consideraremus. Fuerunt vero illius apud Germanos, variis temporum interuallis, variae ac longe diuersae rationes et veluti facies. Ciues enim heribannariam militiam facientes exceperunt vasalli; vasallis successerunt milites conductiti; tandem perpetui exercitus introducti. Per has vero militiae vicissitudines fieri non potuit, quin etiam ius plurimas et maximas sentiret immutationes; quas omnes, quo minus persequeremur, ipsa operis impeditiebamur mole, quam iam sub manibus nimium succrescere, nec vlo pacto angustis libelli academicici finibus concludi posse videbamus. Itaque nobis interim in eo adquiescendum

<sup>a)</sup> Boehmerus *Electa iuris feudalis*. Lemgou. 1795. Tom. I. Ex. II.  
p. 47. seq.

suit, ut, in memoriam ultimorum temporum regressi,  
quaenam fuerit antiquissimi militiae generis, quod  
heribannum vulgo audire solet, in iure priuato vis,  
et quaenam eius in gentis nostrae moibus reperiren-  
tur vestigia, exponere conaremus. In qua quidem  
materia pertractanda, si forte minus virorum harum  
rerum peritorum expectationi satisficerimus, perpen-  
dant, quae sumus, nobis in hoc scripto edendo hoc  
potissimum fuisse propositum, ut studiorum nostro-  
rum aliquam redderemus rationem, simulque si alicubi  
forte, grauissimam iuris patrii materiam tractantes, a  
vero aberrauerimus, viro nim doctorum iudicio admo-  
niti, in viam rectam reduceremur.

Ceterum ne sine adcuratori notitia formae, quam  
heribannaria olim habuit militia, disputatio nostra  
lumine quasi careat, et suo destituatur fundamento,  
nonnulla de hac re, ex antiquitate collecta, eo magis  
praemittenda erunt, quo minus, quae ab aliis de hac  
materia prolata sunt, ad scopum nostrum adtingere  
animaduertimus. Ut enim silentio praetermittamus  
cum eos, qui omnem Germaniae antiquitatem libris suis  
complexi, pro instituti ratione, hic defuncti sunt pau-  
cioribus, quam quibus nos adquiescere possimus; tum  
eos, qui historiam Germanorum scribentes, rem mili-  
tarem obiter tantum exposuerunt: ne ii quidem, qui

de industria argumentum nostrum fusius pertractarunt, Mettinghius <sup>b)</sup> Daniel <sup>c)</sup> et Iustus Moeser <sup>d)</sup> rem confecisse videntur <sup>e)</sup>. Mettinghius enim, quamquam multa congesit de armorum forma, de aciei ratione et similibus aliis, tamen, quibus hic cardo rei vertitur, quaestiones: quibusnam incubuerit militiae facienda necessitas et quinam fuerit eiusdem suscipienda modus, haud ita explicuit, vt nihil ultra requirendum desiderandumque superesset. Daniel vero non modo tempora, quae Chlodouaeum regem praecesserunt, plane praetermisit, sed etiam aut falsa monumentorum antiquorum interpretatione deceptus, aut suo nimium indulgens ingenio, opiniones parum aptas firmasque narrationi crebro immiscuit. At Moeserum certe sperabamus eum fore, qui nobis otia fecisset. Sed et haec spes nostra cecidit irrita. Quod si forte quis, iusta captus summi illius viri admiratione, haec temere dicta existimet, legat, quaesumus, quae de se ipse ingenue alicubi fassus est: interdum

<sup>b)</sup> Bernh. Clem. Mettinghius  
*Status militiae Germanorum principalis et accessoriae veteris et mediævii.* Alton. 1742.

<sup>c)</sup> Daniel *Histoire de la milice Francoise.* Amsterd. 1724. II. Tom.

<sup>d)</sup> Moeser *Osnabrückische Geschichte.* Berlin v. Stettin. 1780. II. Th.

<sup>e)</sup> Nouimus quidem Gallum quemdam, Rebauld de la Chappelle dictum, dissertationem de militia veterum Francorum scripsisse, quae in dissertationibus eius iunctim editis, p. 125. exstat: at huius libri copia nobis facta non est.

sibi, inquiens, accidisse, vt ante quam ipsos adiisset fontes, de eo quod verisimile sit meditatus, rebus vere gestis opiniones mente conceptas substituerit, atque sic a fide historiarum aberrauerit *f).* Cuius quidem ad coniectandum proclivitatis cum etiam in iis, quae de heribanno retulit, quaedam reperiantur vestigia, non potuimus non a sententia huius viri, quem in plerisque tamen ducem sequuti sumus optimum, in nonnullis recedere.

f) *Vermischte Schriften von Iulius Moeser, herausg. v. Fr. Nicolai.* Berlin v. Stettin. 1798. Th. II. p. 224.

## SECTIO PRIMA

D E

MILITIA VETERVM GERMANORVM HERIBANNARIA

## §. 1.

*De re Germanorum militari Francorum regno  
nondum condito.*

Quae fuerit ab ultimis inde temporibus bellica Germanorum virtus, nemo ignorat. Optimi eius exstant praecones Romani s); eademque ad nostrum usque aeuum, toties summis celebrata est laudibus, ut comode nos huic negotio supersedere possimus. Hinc vix quoque monendum videtur, bello intra Germaniae fines exarso, omnes, quos armis suffecturos ciuitas probasset, signis aduolasse, neque ullo adstrictos sacramento, sponte nomina dedisse. Serui soli et qui apud

g) Tacitus *De morib. Germ.* c. 37.

liberas quiasque nationes eadem fere, qua serui, vtebantur sorte, libertini, contemti quippe ac despici, armorum societate erant exclusi <sup>h)</sup>). Nec tamen vlo modo nobis persuadere possumus, liberos omnes in omnibus ac singulis Germanicae originis gentibus eodem im- petu ad perpetua proreptos esse bella, eamdemque fuisse apud omnes rei militaris formam; imo vt reipublicae, ita et militiae, aliam aliis fuisse, quam maxime verisimile est. Adcuratius enim iis, quae Caesar, Tacitus aliquique Latii scriptores de maioribus nostris memoriae prodiderunt, inter se collatis, manifesto nobis adparere videtur, alias populos, e singulis familiis sensim sensimque collectos, priscam, quam ipsa natura effinxerat, disciplinam studiose seruasse; alias, magnas rerum immutationes ac perturbationes expertos, nouam eamdemque plane militarem induisse. Illos vide- mus egregia libertate florentes <sup>i)</sup>. Patrios singuli colunt agros <sup>k)</sup>: suos quisque paterfamilias regit penates, solus suorum auspex et moderator <sup>l)</sup>: iudices ipsi sibi eligunt <sup>m)</sup>, neque ius aliud norunt, nisi quod com-

<sup>h)</sup> Tacit. d. l. c. 25. In alia omnia abit Ge. Chr. Gebauerus in *Vestigiis iuris Germ. antiquiss. in C. Corn. Taciti Germ. obviiis Götting.* 1766. *Dis. XI. §. 4.* quocum tamen ob Taciti locum laudatum facere non possumus.

<sup>i)</sup> Moeserus d. l. Th. I. Abschn. I. §. 8. et 21.

<sup>k)</sup> Tacit. d. l. c. 16.

<sup>l)</sup> Tacit. d. l. c. 10. 19.

<sup>m)</sup> Tacit. d. l. c. 12.

mumis populi vox in publicis effata est concionibus <sup>n)</sup>: totius ciuitatis suffragio decernendum est bellum <sup>o)</sup> ante quam hortante, non iubente duce, exercitus exit, cui non principis cuiusdam aut regis, sed dei quaedam praefreruntur signa <sup>p)</sup>: duces exemplo potius quam imperio praesunt: neque animaduertere, neque vincire, neque verberare, nisi sacerdotibus permisum, non quasi in poenam, nec ducis iussu, sed velut deo imperante <sup>q)</sup>: sua quemque in proelium sequitur familia, et ne mulieres quidem atque infantes remanent, sed cibos et hortamina pugnantibus gestant <sup>r)</sup>. Ab hoc antiquae libertatis populi exemplo mirum quantum differunt quae de aliis accepimus nationibus Germanicis <sup>s)</sup>. In his enim singulorum ciuium iura eximiae principum auctoritati subiecta reperimus: ne certum quidem agri modum aut proprios fines quisquam habet: magistratus ac principes in annos singulos, singulis quantum et quo loco visum est agri tribuunt atque anno post alio transire cogunt <sup>t)</sup>: hinc nec generis nobilitas, nec magnorum praediorum possessio, nec patris familias dignatio praecipua tribuunt iura: simulac quis est armis

<sup>n)</sup> Tacit. *d. l. c. 12.*

<sup>r)</sup> Tacit. *d. l. c. 7.*

<sup>o)</sup> Tacit. *d. l. c. 11.*

<sup>s)</sup> Moeserus *d. l. §. 5. 6.*

<sup>p)</sup> Tacit. *d. l. c. 7. Histor. Lib. IV. c. 22.*

<sup>t)</sup> Caesar *De bello Gall. Lib. IV. c. 1. Lib. VI. c. 22. Tacit. d. l.*

<sup>q)</sup> Tacit. *de mor. Germ. c. 7.*

<sup>c. 26.</sup>

ferendis, in ciuium numero habetur: sola dat honores militia. Hi scilicet populi, in pagos descripti, perpetua continentur disciplina: quotannis certus armatorum numerus bellandi caussa educitur, quorum vices proximo anno alii subeunt <sup>v)</sup>; indefesso studio milites et equi exercitantur <sup>x)</sup>: e singulis pagis centeni deliguntur, ex omni iuuentute fortissimi, qui ante aciem locati ac pro more equitibus mixti procliantur <sup>y)</sup>: principes regionum ac pagorum inter suos, suo quasi iure, ius dicunt, et qui bello exorto eliguntur magistratus adeo vitae necisque habent potestatem <sup>z)</sup>.

Quam quidem morum diuersitatem tantam suisse, ut militiae facienda munus, in his, quos postremo loco descripsimus, populis ad omnes omnino liberos homines, in illis contra ad solos praediorum possessores pertineret, id quod Moesero visum est <sup>a)</sup>, nos

<sup>v)</sup> Caesar d. l. Lib. IV. c. 1. Vertheidigung einer Hof oder Erblast machen, indem es sehr unbillig seyn würde, jeden Kopf mit gleicher Last zu beschweren. — Ein anderes ist es

Fac. Car. Spenerus Notitia Germ. antiqu. Hal. 1717. p. 463. n. 4.

<sup>x)</sup> Caesar d. l. Lib. IV. c. 2.

Tacit. d. l. c. 6.

<sup>y)</sup> Caesar d. l. Lib. I. c. 48. Tacit. d. l. c. 6. Linius Lib. XLIV. c. 26.

<sup>z)</sup> Caesar d. l. Lib. IV. c. 25. Tacit. d. l. c. 44.

<sup>a)</sup> Moeserus d. l. §. 20. Es ist fast nothwendig, dass einzelne Wohner, welche sich wegen Leib und Gut vereinigen und verbürgen, aus ihrer

quidem nequitam concedere possumus; cum veterum auctorum testimonia et bellicosus maiorum nostrorum animus reclament; quamquam negari non potest, illa ipsa diuersitate caussas contineri, quam ob rem ingenia vtrorumque populorum paullatim redderentur diuersa, ipsique populi, cum ventum esset ad arma, haud aequo marte pugnarent. Qui Germanorum proprios colebant agros, sibi caros, ii haud dubie sensim sensimque coepere minns prompto paratoque animo belli discrimina subire, quam ii, quibus, quod amitterent, haud quidquam erat. Exemplis hoc olim suis ostenderunt Chauci et Suevi. His Caesar negat latrocinia, quae extra fines ciuitatis facta sint, fuisse in infamia <sup>b)</sup>. Illos quod adtinet, iis quidem omnibus, Tacitus ait <sup>c)</sup>, promta fuisse arma, ac, si res poscerit, exercitus; eosdem tamen sine cupiditate, sine impotentia, quietos secretosque nulla prouocasse bella, nullis raptibus aut latrociniis populatos esse. Deinde

ciperent praedasque agerant, non  
vt prouincias caperent, bellorum  
finis esse solebat. Ceterum, vt haec  
obiter moneamus, vix alia reipubli-  
cae forma nobis excoxitari posse ve-  
detur magis incepta, quam si qua  
ad militiam faciendam solos euoca-  
ret praediorum possessores; ideoque  
talem vnumquam exstitisse non possu-  
mus nobis persuadere. Simile quid

in feudis quidem postea accidit, cum  
vasallorum auraria, et dominorum  
imbecillitas priscam beneficiorum  
naturam plane pervertissent; at ne  
tum quidem, etiamsi praediorum non-  
nullorum oneribus adcensemetur mi-  
litia, soli horum possessores merere  
solebant.

<sup>b)</sup> Caesar d. l. Lib. VI. c. 23.

<sup>c)</sup> Tacit. d. l. c. 35.

qui populi vel in pace exercitus imaginem p[re]se fe-  
rebant, perpetuoque armorum vsu exercitati et seueris-  
simae disciplinae subiecti, nil nisi proelia et latrocinia  
meditabantur, eos, cum res ad manus venisset, non  
potuisse non longe praestare illis, qui, non nisi praeuia-  
totius populi deliberatione, cunctanter castra sequuti,  
in acie sola cognatione militumue arbitrio collocati et  
ingenti feminarum liberorumque turba impediti, sine  
omni disciplina dimicabant; id cum res ipsa, tum exis-  
tus belli quo Cherusci a Cattis sunt oppressi <sup>d)</sup>, lu-  
culentissime docet.

Quae cum ita sint, vix dubitamus, oppressis, qui  
paci magis quam armis studerent, populis, magnam  
rerum Germanicarum, quae consequuta est, immuta-  
tionem, longe citius euenturam fuisse, nisi illae ipsae  
gentes, genere quodam militis perpetui instituto, im-  
minens periculum, per tempus saltem, auertere didicis-  
sent. Mos scilicet apud eas inuauit, vt fortissimi qui-  
que iuuenes se perpetuos adgregarent comites principi  
cuidam, cuius sub auspiciis semper ad pugnandum  
parati essent, tanta gloriae cupidine flagrantes, vt,  
cum patria longa pace et otio torperet, ad externas  
gentes, bellis implicitas, se conferrent. A principe suo,

<sup>d)</sup> Tacit. d. l. c. 36.

ciuum muneribus adiuto e), comites ali, armis et equis instrui solebant; iidem vero patrono ea lege obstricti deditique tenebantur, vt ipsum defenderent, tuerentur ac sua quoque fortia facta gloriae eius assignarent. Hoc praecepsum erat ipsis sacramentum, infame contra iisdem et in omnem vitam probosum putabatur, superstitem principi suo ex acie recessisse f). Atque hi comitatus et principium auctorati, et bellico iuuentus Germanicae ingenio adeo apti et commodi erant, vt mox in iis quoque rebus publicis, quae ob formam plane militarem, facile iis carere potuissent, introducerentur g): sicque factum est, vt per omnem Germaniam duplex oriretur militiae genus; vnum principibus eorumque comitibus solempne, alterum omnibus reipublicae ciuibus commune, id quod, barbaro quidem nomine, vix tamen cum alio communando, militiae heribannariae insignitum est.

e) Tacit. d. l. c. 15.

f) Tacit. d. l. c. 15. 14. Gebanrus *Vestig. iur. German. antiquiss. Dis. VII. Moeserus d. l. §. 34. 35. 36.*

g) Comites ab initio iis gentibus proprios fuisse, quae, pacis amantes, iis quam maxime indigerent, cum res ipsa docere videtur, tum,

nisi fallimur, inde recte colligi potest, quod Caesar, Germanorum, hoc est Suevorun, qui soli fere ipsi inuotuerant, mores depingens, comites ignorat, quos tamen Arminii temporibus apud Cheruscos fuisse, ex Taciti Lib. II. Annal. c. 45. intelligere licet, quo Ingwomerum cum manu clientum ad Marobaudum transisse legimus.

Densis veluti nebulis historia maiorum nostrorum inuoluta latet per ea tempora, quae ab aetate Taciti, quem hactenus ducem sequuti sumus, ad quintum vsque post Christum natum seculum praeterierunt: neque tamen sine magna veri specie adfirmari posse videtur, eamdem sibique constantem tum mansisse rei militaris formam. Quamuis enim principes per illa secula numero comitum eoque potentia aucti sint; nihilo tamen minus, re poscente, et quemuis ingenuum castra sequutum esse, quin imo expeditiones illas, quae Romanorum imperio fuerunt exitiosae, saepius quam antea totos populos excitasse, facili conjectura adsequi possumus. Nec quidquam hisce in rebus videtur immutatum cum paruae ciuitates, quae Germaniam antea inhabitauerant, in maiora coaluiscent populorum corpora. Tum enim nihil actum, nisi vt plures gentes, sub communi omnibus nomine, arctissimo eodemque perpetuo iungerentur foedere, ita tamen, vt salua singularum libertate, saluis moribus, quin saluo adeo prisco nomine, neutiquam inter se commiserentur, nec, si ab imperio quodam discesseris, quod mox penes hanc, mox penes illam foederatarum gentium esset, vni reliquae subiicerentur. Exemplo hoc firmarunt Chamaui, Catti, Bructeri, Amsiuarii aliaeque gentes, quae, diu sub Francorum nomine sociatae, quarto

post Christum natum seculo exeunte, singulae antiquis  
sub nominibus occurunt <sup>h)</sup>.

At omnia immutata ac peruersa conspiuntur, ex  
quo plerique Germanorum, quinto post Christum natum  
seculo, mutatis sedibus, noua regna condiderant. His  
enim expeditionibus foederatae antea gentes in vnum  
quasi conflari: duces ac reges, rerum prospere gestarum  
splendore adacti potestate inter suos crescere, ciuium  
libertati insidias struere: captarum prouinciarum  
incolae victoribus miseri: peregrinis moribus diuitia-  
rumque abundantia Germanica simplicitas corrumpi:  
mollitici bellica virtus cedere: Christiana religio omnem  
rerum publicarum formam immutare. Quibus quidem  
rerum vicissitudinibus quomodo militiae etiam facies  
innouata ac perturbata fuerit adcuratius exposituri, si  
solorum Francorum rationem habuerimus, facile huius  
rei veniam nos impetraturos esse confidimus. Ceterae  
enim nationes, cum aut in exteris regionibus sedes  
habitationis fixerint, aut, in Germania commoratae,  
imperio Francorum, ad quorum arbitrium se totas  
componerent, subiectae sint; hae quid penes se insti-  
tuerint, nosse parum interest iura patria interpretantis.

<sup>h)</sup> Gregorius Turonensis *Lib. II. des historiens des Gaules et de la c. 9. apud Mart. Bouquetum Recueil France Tom. II. p. 165.*

## §. 2.

*De re Francorum militari ante Carolum M. regem.*

Quantam res militaris apud Francos, inde a regni ipsorum conditoris, Chlodouaei, aetate, immutationem experta sit, id neminem, qui vel summam quae ibi euenerunt rerum perlustrauerit, fugere potest. Quamuis enim certum sit, etiam post hunc regem omnes omnino regni ciues, nisi quibus singularem exemptionem leges concesserant, ad militiam faciendam obstrictos mansisse; aequa tamen certum est, non nisi rarius, nec sine grauissima caussa, reges ad sacram heribanni ancoram confugisse. Neque id mirum. Partim enim, ut postea videbimus, quaedam militibus heribannariis debebatur reuerentia, neque eos licebat Francorum principibus, perpetuis se inuicem bellis conscientibus, quoties visum esset, euocare; partim gens, quae horridas inhabitans Germaniae siluas, nec proprii quidquam possidens, fuerat bellicosissima semperque ad pugnandum parata <sup>i)</sup>, iam, fertilissimarum prouinciarum domina, mollitiei luxuriaequa mancipata simulque auitiae, crudelitati aliisque vitiis immersa torpebat.

<sup>i)</sup> Libanius *Orat. III. Basilic.* fuisse, aut persuadendi rationibus, testis est; Francos quietem otiumque aut vi armorum perpelli potuisse, ut morbum indicasse, neque umquam quiescerent. ab iis, qui propinquam sedem sortiti

Milites vero heribannarii, tali ex gente exciti, cum sine virtute ac disciplina grassarentur, latronum cohortis potius quam iusti exercitus imaginem prae se serebant, praedaeque non proeliis inhiantes, suis magis ciuibus quam hostibus molesti et formidolosi erant <sup>k).</sup> Itaque, regno Francorum vix condito, necesse fuit, vt reges cogitare inciperent de instituendo exercitu sibi probato vsuque rerum spectato, qui a solo ipsorum nutu penderet. Cui consilio exsequendo haud parum suffragatus esse videtur mos ille antiquior, ex quo fortissimi quique iuuenes se principibus comites adgregare consueuerant, perpetuo patronorum cultui dicati. Quamquam enim corruptis populi moribus nec praecellariorum facinorum laus, nec armorum epularumque munera iam pro incitamentis esse poterant; tamen, quae omnium animos inuaserat, potentiae diuitiarumque fames, ingentem nobilium virorum turbam ad reges adpellebat, honores, fundos, aurum ostendentes. Mercede accepta fidem interponebant, se regibus, bellum meditantibus, nullo non tempore praesto futuros; vnde fideles, homines, antrustiones, leudes, vasalli audiunt. Atque hi regum leudes, cum magnum ciuium numerum,

<sup>k)</sup> Gregor. Turonens. *Lib. IV.* *ibid.* p. 324. *Lib. IO. c. 3.* *ibid.* c. 49. ap. Bouquet. p. 220. *Lib. VII.* p. 364. c. 55. *ibid.* p. 307. *Lib. VIII. c. 30.*

quem ipsi suam in clientelam receperant, secum ad exercitum ducerent, saepenumero quidem heribanni vices explebant regumque dominandi cupidinem adiuabant: at vero, iidem et reliqui regni proceres et maiorum ordinum sacerdotes, qui simili ratione fidelium coronam ad se contraxerant, commodam nanciscebantur occasionem, sumam recum sibi vindicandi et regibus aequie ac plebi iugum quoddam, nec raro sat graue, imponendi <sup>l)</sup>. Nostrum non esse videtur, de vi, quam in republica formanda vel potius turbanda iste fidelitatis, singulis quibusdam viris promissae, nexus exseruerit, fusius exponere, aut iura, quae patronis cum clientibus intercesserint, hac dissertatiuncula persequi. Neque enim aut publici aut beneficiarii iuris origines scribimus. Reuertimur igitur ad heribannariam militem, et quaenam per hanc temporis periodum forma, quis eius facienda modus fuerit, quantum per rei obscuritatem licebit, paucis videamus.

Et primum quidem, cum iam prouinciarum Romanarum olim incolae ita ut complures Germanicae originis populi inter regni Francici ciues recepti essent, num hi quoque cum Francis bello interesse debuerint, dispiciendum videtur. De Burgundionibus, Alemanni-

<sup>l)</sup> Gregor. Turonens. *Lib. III.* *Lib. IV.* c. 14. 22. *ibid.* p. 210. 214. c. 11. 23. ap. Bonquet. p. 191. 193. *Lib. IX.* c. 20. *ibid.* p. 543.

nis et qui praeterea Germani Francorum maiestatem venerati sunt, ut hoc adfirmemus, multa sunt quae suadeant. Non modo enim in Francis exercitibus horum populorum auxilia semper occurunt <sup>m)</sup>; sed diserte etiam iisdem, ut bellantibus praesto essent regibus, iniunctum reperimus <sup>n)</sup>. Quod vero ad Romanos adtinet, quo communi nomine omnes prouinciarum Romanarum incolae comprehendi solebant, iis inge- nuitatem mansisse nouimus, iisdemque ad summos in ecclesia aequa ac republica honores patuisse viam, plurimis constat exemplis <sup>o)</sup>. Hinc non est quod dubitemus, eos etiam in societatem militiae receptos esse; praesertim cum urbium incolas, quas maximam partem Romanae originis fuisse constat, saepe ad bellum euocatos esse memoriae proditum sit <sup>p)</sup>. Quid? quod? disertis adeo verbis mulctam Romanis, si qui nomen dare neglexissent, indictam videmus <sup>q)</sup>. Id vero serio-

<sup>m)</sup> Gregor. Turonens. *Lib. IV.* c. 42. ap. Bouquet. p. 224. *Lib. VIII.* c. 50. ibid. p. 524.

<sup>n)</sup> Lex Baiubar. Tit. II. c. 4. §. 1. apud Paul. Canziani *Barbarorum leges antiquae Tom. II.* p. 363.

<sup>o)</sup> Ad Celsi, Lupi, Mummoli aliorumque exempla prouocamus quae collegunt Daniel d. l. *Lib. I.* c. 2. p. 9. et De Gourcy *Viber Freyheit und Leibeigenschaft*, über

den Adel den geistlichen und den dritten Stand und über Beneficien und Lehen unter den Merouingern und Carolingern a. d. franz. v. Ge. Heinr. Oesterley *Götting.* 1788. 8. p. 45.

<sup>p)</sup> Gregor. Turonens. *Lib. VII.* c. 34. ap. Bouquet. p. 506.

<sup>q)</sup> Lex Ripuar. Tit. 65. ap. Canziani *Tom. II.* p. 315.

re demum aeuo factum, Danielis <sup>r)</sup> auctoritati vt concedamus, a nobis impetrare non possumus. Obstat enim exemplum Armoricanorum, qui pacti, quo interueniente Chlodouaeo sese subiecerunt, legibus id addi voluerunt, vt, ad bellum exeuntibus, propria signa sequi liceret <sup>s)</sup>.

Alia iam venit quaestio, de libertinis, magis impedita. Neque enim de his in Francorum legibus expresse quid sancitum deprehenditur; neque lucem nobis accendere possunt prioris aeti mores<sup>t)</sup>, quippe qui, prout Germanae nationes liberae vel regum imperio manipatae erant, per se varii atque diuersi, temporibus, de quibus hic sermo nobis est, neutquam conueniunt, iamiam libertinorum conditione plane immutata <sup>t)</sup>. Hos a belli societate atque armorum honore plane amotos fuisse, credere nos iubent ea, quae de horum hominum humili conditione deque patronorum in eos iuribus scripta leguntur <sup>v)</sup>. Quod vero iisdem,

r) Daniel d. l. p. 8.

s) Procopius Lib. I. de bello Goth. c. 12. apud Muratorium Rer. Ital. Script. Tom. I. p. 259.

t) Longa est de libertinorum apud Germanos conditione disputatio, nec ex nostro qualicunque iudicio, satis adhuc expedita. Eam vero hic nostram facere, nec libet nec licet.

Quae de vltimis temporibus disseruit Gebauerus *Vestig. iur. Germ. antiquiss. Dis. XI.* parum placent. De seniore aeuo multa collegit De Gourcy d. l. p. 86. seq.

v) De Gourcy d. l. p. 185. Car. Du Fresne du Cange *Glossar. ad script. med. et inf. latin.* v. manus missio.

ut multorum exemplis constat <sup>x)</sup>), licebat, ad summos in republica honores adscendere, id vocat nos in contrariam sententiam. Quae argumentorum pugna facile tollitur, si, quod licere putamus, non omnes libertinorum classes honorifico armorum iure gauisos esse statuimus, sed eos tantum, qui optimo iure essent manumissi: *tamquam si ab ingenuis parentibus essent procreati vel nati y).*

Porro inter eos, qui castra sequuti sunt, nobis se offerunt etiam clerici, haud silentio hic praetereundi. Hos, pro variis temporum rationibus, mox a militia immunes, mox ad eam faciendam obligatos videas. Liberi dum erant Germani, inter praeципua sacerdotum officia et hoc fuisse, ut exercitibus adessent auspices ac moderatores, Tacitus auctor est <sup>z)</sup>). At ex quo, in bello aequo ac pace, reges manu omnia gubernare coepe-

*x)* Gregor. Turonens. *Lib. IV.* c. 47. ap. Bouquet. p. 227. Audarcho cuidam seruo Sigebertum regem locum praebuisse militandi referit, ex quo quasi honoratus habitus sit. Idem Leudastum. seruum quandam ad munera comitis stabulorum et comitis Turonensis sensim peruenisse narrat *Lib. V.* c. 49. ap. Bouquet. p. 261. Lex Ripuar. c. 53. §. 2. ap. Canziani *Tom. II.* p. 310. regii pueris vel tabularii mentionem inicit, comitis facti.

*y)* Marculfus *Adpend. form. XIII.* apud Steph. Baluzium *Capitularia Reg. Francorum Tom. II.* p. 444. Carolus Rex Capit. III. d. a. 813. c. 12. ap. Baluz. *Tom. I.* p. 512. Qui per chartam, inquit, *ingenuus est*, sic debet in omnia pertinere sicut alii Franci. *Adpend. Actor. Vet. ap. Baluz. Tom. II.* p. 1498. Lex Ripuar. c. 57. §. 1. ap. Canziani *d. l.* De variis libertinorum classibus vid. De Gourcy. *d. l.* p. 147. seq.  
*z)* Tacit. *d. l.* c. 7.

rant, religioque Christiana nouam sacerdotibus prouinciam dederat, non modo auctoritas, qua in exercitu antea polluerant, cessauit; sed, ex legum ecclesiastica- rum paeceptis, nefas adeo habitum est, clericos arma portare <sup>a)</sup>. Illas vero leges etiam apud Francos, certe initio regni ab ipsis conditi, valuisse, vel ideo dubitare non possumus, quod clerici maximam partem ex Romanis constabant, qui quidem, quales tum erant, liben- tissime se sacro ordini initiari curabant, ut intra eccl- siarum muros coenobiorumque claustra absconditi, sub pietatis specie, bellorum laboribus se subducerent. Reges vero, cum copia militum abundarent, quo mi- nus id fieret haud impiedebant. At vero, cum Ger- mani etiam, a tenera aetate armis adsueti, inter cle- ricos recipi, Romanique illis moribus exaequari coe- piscent; cum numerus sacerdotum monachorumque, diuitiis abundantium, in immensum auctus esset, reges- que, et cum vicinis populis, et aduersus se inuicem, continua bella gerentes, quotidie magis iuuentutis ar- mis idoneae frequentia destituerentur: tum clerici, spretis conciliorum canonibus pontificorumque decretis, denuo signa sequuti; haud inuitis, puto, regibus,

a) I. H. Boehmerus *Ius ecclesiast. iurib. ex stat. milit. vet. Germ. pend. protest.* Tom. III. Lib. III. Tit. 20. C. L. §. 8. 9.  
§. 74. seq. G. L. Boehmerus *Dis. de*

quippe qui, quamquam alia omnia interdum simulant, bellicosae eorum indoli non modo cummaxime fuisse, sed eosdem adeo, ut arma capererent, coegisse inueniuntur. Tamquam miram rem, nec valde decoram, Gregorius Turonensis <sup>b)</sup> refert, Salonium et Sagittarium episcopos expeditioni, anno post Christum natum quingentesimo sexagesimo nono, aduersus Longobardos susceptae, non cruce coelesti munitos, sed galea aut lorica seculari armatos, interfuisse, eosdemque, quod peius sit, multos manibus propriis interfecisse. Nihilo secius postea, ut alios taceamus, eorum exemplum sequutus est Anepos episcopus, qui exercitum contra Viliarium duxit <sup>c)</sup>; et sub finem regni Merouingicorum in consuetudinem cessisse militiam clericorum, docent synodorum decreta, quibus, dum penes Carolomannum et Pipinum rerum summa esset, armorum vsu illis interdictum est <sup>d)</sup>. Quid? quod? non obstantibus hisce decretis, reges eosdem milites scribere perrexerunt; audimus enim populum, Carolo rege comi-

<sup>b)</sup> Gregor. Turonens. Lib. IV. c. 43. ap. Bouquet. p. 225. Lib. V. c. 21. ibid. p. 247.

<sup>c)</sup> Ado Viencens. Breuiar. Chronicon. ad a. 714.

<sup>d)</sup> Caroloman. princ. Capit. I. d. a. 742. §. 2. ap. Baluz. Tom. I. p. 146. Seruis dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare aut in exercitum et in hostem pergere omnino prohibuitus. Pipini princ. Capit. Suessionch. d. a. 744. §. 3. ibid. p. 157. Et abbates legitimi hostem non faciant. Eiusd. Capit. Syiodal. d.a. 752. §. 16. ibid. p. 164. Ut arma clerici non portentur.

tia Wormatiae habente, preces fundentem: *ne episopi deinceps, sicut hactenus, vexentur hostibus* <sup>e)</sup>.

*ibid.* Denique de fidelibus siue clientibus regum aequae ac regni procerum addendum est; quam patronorum, seu, qui iidem dicebantur, seniorum caussa, ex speciali lege, facere debebant militiam, hae illos neutiquam liberatos esse ab heribannaria illa, quam ne ecclesiarum quidem homines effugere poterant, quamuis id studiose agerent clerici. <sup>f)</sup>.

Solis igitur libertinis atque clericis, eo, quo dictum est, modo, a militia immunibus, ceteri omnes regni incolae, liberi dum essent, urgente necessitate, patriam armis defendere debebant, neque villo doceri potest testimonio, solos fundorum possessores hoc munere apud Francos functos esse.

Qui vocati, seu, ut formula illis temporibus solemni vtamur, banniti, nomina dare neglexerant, iis multa proposita erat, pro originis vel ordinis varietate, varia. Sexaginta solidos exsoluit Francus; Romanus vel homo ecclesiasticus regiusue triginta. Nec, praeter aduersam valetudinem, aut infirmam aetatem, vlla occurrit excusatio <sup>g)</sup>.

*e)* Carol. Capit. VIII. d. a. 803.  
ap. Baluz. Tom. I. p. 405.

*f)* Gregor. Turonens. Lib. V. c. 27.  
ap. Bouquet. p. 250. Lib. VII. c. 42.  
*ibid.* p. 510.

*g)* Gregor. Turonens. Lib. VII.  
c. 42. ap. Bouquet. p. 510. Lex  
Ripuar. c. 65. §. 1. ap. Canziani d.  
l. si quis legibus in vilitatem regis  
siue in hoste seu in reliquam vilita-

Ex moribus maiorum, omnes regni ciues, si ab iis  
discesseris, qui clientelari lege patrono cuidam aut  
ecclesiae addicti, seniores aut ecclesiarum adiucatos ad  
exercitum sequebantur, militiae causa, in pagos descripti  
erant <sup>h)</sup>. Singulis pagis praerant comites cum cente-  
nariis suis <sup>i)</sup>, auctoritati ducum subiecti <sup>k)</sup>. Summa  
iam erat cum praefectorum <sup>l)</sup>, tum regum ipsorum  
potestas in milites, quos vel ob leuissimas caussas morte  
adfecisse inuenimus <sup>m)</sup>. Nec tamen subito prisca populi  
libertas eo vsque oppressa est, vt regibus pro lubitu  
delectum militum habere ciuesque nolentes aduersus  
hostes educere liceret. Probant hoc exempla Chlodouaei  
et Theodorici regum, quorum ille, Visigothos bello  
petens, hic, aduersus Thuringos expeditionem parans,  
Francos de consensu suo interrogarunt <sup>n)</sup>. Et sane  
tempore eiusdem regis illi duces  
tem bannitus fuerit, et minime admis-  
sione pleuerit, si aegritudo eum non deti-  
nuerit, sexaginta solidis multetur  
§. 2. Si autem Romanus aut ecclesi-  
asticus vel regius homo hoc fecerit, unus-  
quisque contra auctorem suum virginata  
solidis culpabilis iudicetur.

<sup>h)</sup> Apud Gregor. Turonens.  
*Lib. IX. c. 20. ap. Bouquet. p. 543.*  
pagi Stampensis, Carnotinus aliique  
occurunt. Apud eundem  
*Lib. VIIII. c. 18. ibid. p. 520.* Win-  
driponem ducem a pagensis suis  
depulsum inuenimus. Porro quo-  
tiescumque idem heribannarios mi-  
litias conuocatos esse auctor est, sc.

cundum pagos id factum esse testa-  
tur. Exempla vides. *Lib. IV.*  
c. 29. *ibid. p. 217.* *Lib. V. c. 1.* 27.  
*ibid. p. 232.* 250. *Lib. VI. c. 31.*  
*ibid. p. 281.* *Lib. IX. c. 31.* *ibid.*  
p. 350.

<sup>i)</sup> Du Fresne *v. centenarius.*

<sup>k)</sup> Ant. Dad. Alteserra *De duci-  
bus et comitibus Galliae prouinciali-  
bus Lib. I. c. 4.*

<sup>l)</sup> Gregor. Turonens. *Lib. V. c. 49.*  
ap. Bouquet. p. 261.

<sup>m)</sup> Gregor. Turonens. *Lib. II.*

c. 27. 37. ap. Bouquet. p. 174. 181.

<sup>n)</sup> Gregor. Turonens. *Lib. II. c. 37.*

diuturno tempore opus fuit, ante quam Germani, qui nullam publicarum caussarum vnius arbitrio permittere consueuerant, obsequio regibus praestando ita adsuefient, ut, studio libertatis extincto, rem omnium gravissimam ex sola illorum voluntate atque imperio pendere sinerent. Quod ipsum tamen tandem factum, et milites heribannarios, si non inuitos, tamen non consentientes excitatos esse, id satis, credo, inde adparet, quod populi maiestas paullatim ita imminuta est, ut denique vel comitia, publicis rebus tractandis olim destinata, admodum negligerentur. Tum tantum abest, ut yllum vspiam veteris scriptoris reperiatur testimonium, quod confirmet, populum, inde a seculo sexto post Christum natum medio, de bellis ineundis consultum esse, ut potius multa bellorum, solo iubente rege susceptorum, exempla occurrant <sup>o)</sup>.

Ceterum quisque militum heribanniorum suo sumtu vinebat. Qui venia principis haud impetrata exercitum reliquerat, capite puniebatur <sup>p)</sup>. De tem-

ap. Bouquet. p. 181. Lib. III. c. 7.  
ibid. p. 190.

<sup>o)</sup> Gregor. Turonens. Lib. IV.  
c. 50. 50. ap. Bouquet. p. 217. 229.  
Lib. V. c. 27. ibid. p. 250. Lib. VII.  
c. 15. 24. ibid. p. 297. 302. Lib. VIII.  
c. 50. ibid. p. 324.

<sup>p)</sup> Carol. Capit. II, d. a. 812.

c. 4. ap. Baluz. Tom. I. p. 494.  
Quicumque absque licentia vel permissione principis de hoste reuersus fuerit, quod factum Franci herisiz dicunt, volumus ut antiqua constitutio, id est capitalis sententia, erga illum puniendum custodiatur.

pore vero, per quod bellicis expeditionibus singuli inter-  
esse, de armis ac telis, quae secum adferre debuerint,  
et quae sunt reliqua ad militiam pertinentia, de his  
omnibus nihil legibus sancitum deprehenditur; unde  
haec omnia casui regumque arbitrio reicta fuisse suspi-  
camur.

## §. 3.

*De militiae heribannariae apud Francos satis a  
Caroli M. inde temporibus.*

Nouum videmus incipere rerum ordinem ex quo  
Carolus M. imperii apud Francos est potitus. Hic enim  
rex cum alia plurima immutauit, tum rem militarem,  
cui, tamquam solidissimo fundamento, nouam, quam  
reipublicae dedit, formam voluit superstructam, melius  
constituit <sup>q)</sup>. Non sustulit quidem clientelaris legis  
nexum, imo plurimos fidelium, qui ipsum concomitaren-  
tur <sup>r)</sup>, regni fines tuerentur <sup>s)</sup>, aliisue fungerentur

<sup>q)</sup> Egregie sentit de Carolo M.  
Car. Ludou. Woltmannus *Grundriss*  
*der neuern Menschengeschichte* p. 17.  
dum dicit: Es bezeugt nichts so sehr  
den erhabenen Geist Karl d. G. als  
die Idee, welche seiner Staatsreform  
zum Grunde lag, dass er nehmlich  
seine Unterthanen wieder zu einer Na-  
tion machen müsse. Diese Idee suchte  
er auszuführen, indem er das alte

Band des Herbanns wieder stark an-  
zog.

<sup>r)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 9.  
ap. Baluz. Tom. I. p. 492. *Volumus*  
*ut homines fidelium nostrorum quos*  
*nobiscum ad seruitum nostrum domi*  
*reseruare iussimus, in exercitum ire*  
*non compellantur.*

<sup>s)</sup> Lib. IV. Capit. c. 4. ap. Ba-  
luz. Tom. I. p. 775. *De vassis no-*

officiis, multis magnisque beneficiis sibi obstrinxit; prudenter scilicet se adcommodabat tempori: at idem summo studio in eo adlaborauit, vt illorum potentiam reipublicae perniciosissimam frangeret, iustisque finibus circumscripdam, contineret.

Quo animo, vt alia taceamus, et heribannariam militiam restituit, sapientissimis legibus emendatam suique temporis rationibus adaptatam. Diu iam erat, quod scutum aut framea Germano militi, aduersus hostem, similiter armatum, pugnanti, suffecerant; quod intra paucos dies bellorum initia et fines conclusa erant; quod mulieres pugnantibus, e patrii pagi limitibus vix egressis, facili negotio cibos adulterant; quod denique bellica omnium virtus, patriae, libertatis gloriaeque amor, morum castitas ac deorum reuerentia disciplinae militaris vices abunde explauerant. Perpetuae vero cum Romanis aliisque populis, bellica arte praestantibus, dimicationes exquisitoris armaturae usum introduxerant, expeditiones per integrum aestatem, quid? quod? per plures interdum annos protractae, in remotissimis a patro solo regionibus militem saepe retinebant; et, quod supra monuimus, pro-

*stris qui ad marcham nostram constituti sunt custodiendam — vel etiam nobis adsidue in palatio nostro serviantur.*

fligatissimi mores ac licentia effrenata omnium fere corruerant animos. Ut igitur heribannum restitutum reipublicae necessitatibus re vera subueniret, iam non vt olim ita et nunc sufficiebat ciues conuocasse, sed cura simul adhibenda erat de conuocatis bene instruendis ac regendis. Quod cum probe Carolus intellexisset, non modo grauissimas poenas proposuit iis, qui aut banniti defuerint, aut delectum subtersigentes adiuuassent; sed etiam sanxit, vt, remota ab exercitu pauperrima plebe, tales tantummodo exirent, qui sumtibus, expeditionis bellicae caussa faciendis, pares, bene armati, victu vestibusque satis instructi, coire, itaque facilius a populationibus arceri ac disciplina regi possent. In iis vero, qui in hunc censum venirent, accuratius designandis, leges sibi non prorsus constant. Nam, prout tempora postulabant, modo trium <sup>t)</sup>, modo quatuor pluriuumue agri culti mansorum possessores <sup>v)</sup>,

<sup>t)</sup> Carol. Capit. d. a. 807. c. 2. <sup>v)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 1.   
ap. Baluz. Tom. I. p. 457. Quiemque liber manso quinque de proprietate habere videtur, similiter in hominem veriat. Et qui quatuor Mansos habet similiter faciat. Qui tres habere videtur, similiter agat. Ludou. P. Capit. d. a. 829. c. 7. p. 672. Voluntus atque iubemus ut missi nostri diligenter inquirant, quanti liberi homines in singulis comitatibus maneant. Hinc vero ea diligentia et haec ratio examinetur per singulas centenas, ut veraciter sciunt illos atque describant, qui in exercitalem ire possunt expeditionem ac deinde videlicet secundus ordo de his qui per se ire non possunt, et duo tertio adiutorum praeparent.

<sup>v)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 1. ap. Baluz. Tom. I. p. 489. Ut omnis liber homo, qui quatuor mansos vestitos de proprio suo, siue de aliquius beneficio habet, ipse se praeparet et

qui proprio sumitu castra sequerentur, venire iubent. Quod vero ad pauperiores adtinet, ne militiae, et ipsis facienda, opprimerentur oneribus, haec, sapienter distributa, ita ferre debebant, ut alii exercitum peterent, alii, ad hos subleuandos, pro facultatum modo, symbolas conferrent. Qui tres mansos de proprio habuerit, inquit Carolus <sup>x)</sup>, huic adiungatur unus qui vnum mansum habeat, et det illi adiutorium, ut ille pro ambobus ire possit. Qui autem duos mansos tantum de proprio habet, iungatur illi alter qui similiter duos mansos habeat, et unus ex eis, altero adiuuante, perget in hostem. Qui etiam vnum tantum mansum de proprio habet, adiungantur ei tres, qui similiter habent, et dent ei adiutorium, et ille tantum perget, tres vero, qui illi adiutorium dederunt, domi remaneant. Quibus alio loco <sup>y)</sup> haec adduntur: Illi qui dimidios mansos habent quinque sextum praeparare faciant. Et qui sic pauper inuentus fuerit, ut nec mancipia nec propriam possessionem terrarum habeat, tamen in pretio valente quinque solidos, quinque sextum praeparent; et ubi duo tertium de illis qui paruulas possessiones de terra habere videntur: Et vnicuique

*ipse in hostem perget, siue cum seniore suo.* ap. Baluz. d. l.  
<sup>y)</sup> Carol. Capit. d. a. 807. c. 2.  
<sup>x)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 1. ap. Baluz. Tom. I. p. 457.

*ex ipsis qui in hoste pergunt siant coniectati solidi  
quinque a supra scriptis pauperioribus qui nullam  
possessionem habere videntur in terra.*

Sic, cum in diligendis militibus opum ratio habeatur, magnus quidem ciuium numerus ab armorum ferendorum necessitate mansit immunis; neque tamen vetera militiae iura adeo sunt immutata, vt, quod oneris ipsis antea incubuerit ciuibus, iam in fundos translatum sit. Nam ex iis quoque, qui neque mancipia neque vlos agros habebant proprios, sextus quisque exibat; et illae ipsae symbolae testes sunt, qui eas conferebant, eosdem ad patriam defendendam obligatos fuissent. Quid multis? lege Ludouici II imperatoris <sup>z)</sup> edocemur; ex eadem familia, quotquot potuerint, ad exercitum proficisci debuisse <sup>a)</sup>. Quae cum ita sint, recte adfirmari

<sup>z)</sup> Ludou. II. imp. Capit. Tit. VI.  
c. 1. ap. Baluz. Tom. II. p. 358.  
*Quod si plures filios habuerit, vitiliores omnes pergant, tantum unus remaneat qui iniutilior fuerit. De fratribus indiuisis, iusta capitularē domini genitoris nostri, volumus, ut si duo fuerint, ambo pergant, si tres fuerint, unus qui iniutilior apparuerit remaneat, ceteri pergant. Si quoque plures omnes utliores apparuerint pergant.*

<sup>a)</sup> Longe ab hac nostra qualicumque sententia discedere videatur quae scripsit Mocserus d. I. Th. I.

Abschn. IV. §. 3. n. k. p. 235.  
Durch die Freyheit vom Heerzuge ließen die Bischöfe Gefahr ihre Fürstenelte und ihr Fürstengut zu verlieren, daher sie auch ausdrücklich salvo honore et saluis bonis entheilt wurde, (Capit. Carol. et Ludou. III. inc. a. ap. Baluz. Tom. I. p. 523.) Und wenn der Kirchenvoigt mit seinen Leuten auch zurück geblieben wäre, so würde die Kirche manus mortua und damit unfähig geworden seyn Reichsgüter zu besitzen; anstatt das wenn der Kirchenvoigt mit auszog die erworbenen Güter nicht aus der Reichs-

posse videtur, Carolo M. imperante, non minus quam antea, heribannum ad omnes pertinuisse liberos homines, si discesseris cum a clericis, qui, quamvis indignabundi, a bello arecebantur <sup>b)</sup>; tum a libertinis inferiorum ordinum; tum denique ab iis, quos aut aduersa valedictio, aut actas tenerior, aut senectus, aut corporis

heerbannismatrickel, sondern nur aus der Grafenfolge in die Folge der Schirmvoigte traten. — Vor ihren Zehntern und dem dote ecclesiae erfolgte aber die Kriegspflicht nicht, wie man leicht einsehen wird. (Capit. L. I. c. 85.) Man muß sich auch nicht vorstellen, daß die Kirche damals Lehen verdient habe, indem der Auszug unter dem Voigte kein Dienst, sondern die natürliche Verteidigung des Eigenthums war. — At si diligentius illa legum loca examinaueris, quibus haec argumentationes immituntur, inuenies, Caroli et Ludouici capitulare, quo testantur se honores sacerdotum et res ecclesiarum neutriquam auferre vel minore voluisse, dum clericis armis interdixerint; ad morem maiorum suorum spectare, qui ecclesiarum bona beneficiario iure militibus conferre solebant. (Carolom. Capit. II. d. a. 745. ap. Baluz. Tom. I. p. 199.) Ludouici vero legem Aquisgranensem c. 10. (Lib. I. Capit. c. 85.) ad militiam heribanniam plane non pertinere; verba enim illius legis haec sunt: (ap. Baluz. Tom. I. p. 565.) statu-

tum est ut unicuique ecclesiae unus manus integer absque ullo seruitio attribuatur, et presbyteri in eis constituti non de decimis neque de oblationibus fidelium non de domibus neque de atris vel hortis iuxta ecclesiam positis, neque de praescripto manso aliquod seruitium faciant praeter ecclesiasticum. At si aliquid amplius haberint, inde senioribus suis debitum seruitium impendant.

b) Carol. Capit. I. d. a. 769. c. 1. ap. Baluz. Tom. I. p. 189. Seruis dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare aut in exercitum et in hostem pergere omnino prohibet. — Eiusd. Capit. VIII. d. a. 805. ibid. p. 409. Volamus ut nullus Sacerdos in hostem pergaat. — Quamquam vero apostolica auctoritate et mulierum sanctorum episcoporum edictum, et consultu omnium fidelium suorum, se haec sanciuisse Carolus profitet; tamen ex Eiusd. Capit. mex laudato, agre eadem tulisse multos clericorum intelligimus; eosdemque sequente tempore spretis ecclesiae et imperatoris legibus, rursus bellis esse immiscuisse, historia docet.

aliqua infirmitas domi retinebat, quosque criminis infamia armorum honore indignos reddiderat <sup>c).</sup>

Idem sane dicendum est de iis, qui beneficia vel ab ipso rege, vel ab ecclesiis gentisue proceribus accepta tenebant. Praeter seruitia enim ex clientelari lege patronis praestanda, heribannariam quoque militiam facere, imo seueriore quam ceteri lege, quae nullam patrimonii ipsorum rationem habebat, adstricti, suo sumtu castra sequi tenebantur <sup>d).</sup>

Neque tamen existimandum est, quotiescumque bellum exarsisset, toties omnes, quibus militia facienda erat, euocatos esse. Imo temperamentum videmus

<sup>c)</sup> Carol. Capit. VIII. d. a. 803. ap. Baluz. Tom. I. p. 413. catalogo atrociorum delictorum haec adduntur: *Qui in uno ex his repertus atque coniunctus fuerit, sciat et omnes honores si habet, perdere et in carcere se usque ad instantem emendationem atque per publicae poenitentiae satisfactio nem retrudi et ab omni fidelium consortio fieri alienum.* — Post poenitentiam vero ex legibus ecclesiasticis nemini licuisse redire ad militiam secularem traditur Lib. VI. Capit. c. 338. ap. Baluz. Tom. I. p. 930.

<sup>d)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 4. 5. ap. Baluz. Tom. I. p. 491. *De hominibus comitum casatis isti sunt excipiendi — ceteros vero omnes secum pleniter habeat.* — *De hominibus nostris et episcoporum et abbatum*

*qui vel beneficia vel talia propria habent ut ex eis secundum nostram iussionem in hostem bene possint pergere — si aliqui inueni fuerint, qui domi remansissent, banum nostrum reuadient.* Eiusd. Capit. II. ei. a. c. 7. ibid. p. 495. *De vassis dominicis — statutum est; ut quicumque ex iis cum demino imperatore domi remanserint, vasallos suos casatos secum non retineant, sed cum comite cuius pagenses sunt, ire permittant.* Eiusd. Capit. d. a. 807. c. 1. 6. ibid. p. 457. 468. *Quicumque beneficia habere videntur, omnes in hostem veniant.* — *De Fresonibus volumus ut comites et vasalli nostri qui beneficia habere videntur et caballarii omnes generaliter veniant.*

hoc adhibitum, ut qui a prouincia, in qua expeditio susciperetur, remotiores habitarent, iis, quantum fieri posset, parceretur. Sic Saxonibus concessum est, ut si bellum in Hispania vel Auaratia gercretur, sextus quisque, ceteris tributum ad instruendum eum praebentibus, arma caperet: si in Bohemia, tertius quisque: at patriae aduersus Sorabos defendendae necessitatem omnes sibi habebant impositam <sup>e)</sup>. Similiter Frisiones quondam ita enocatos esse inuenimus, ut comites et vasalli regis et caballarii omnes venirent, e reliquis septimus quisque <sup>f)</sup>). Nec est quod dubitemus, etiam Francos hanc regis sui indulgentiam esse expertos, bellique oneribus, quantum fieri potuerit, leuatos.

Supra dictum est, seuerissimas poenas a Carolo iis propositas esse, qui ad militiam faciendam obligati, delectum seu heribannum subterfugissent; nec deest sane legum, quae hoc probant, copia. Non modo enim antiquam sexaginta solidorum, sine trium argenti librarum, mulctam, quod plenum bannum solemini verbo dicebatur, constitutionibus imperatoris nostri firmatam ac repetitam legimus <sup>g)</sup>; sed hoc quoque additum, ut

<sup>e)</sup> Carol. Capit. d. a. 807. c. 5. p. 207. *Qui hoc commiserit sexaginta solidos in bannum nostrum componat.* ap. Baluz. d. l. Long. 736

<sup>f)</sup> Id. Capit. c. 6. ibid.

<sup>g)</sup> Carol. Capit. Baiubar. d. a. 788. c. 3. 4. ap. Baluz. Tom. I. ad Leg. Longob. d. a. 801. c. 2.

qui bannum exsolueret, se ipsum, pignoris quasi loco, magistratibus traderet, atque in temporaria seruitute, dum legibus satisfecisset, permaneret <sup>h)</sup>). Tum si ad mulctae summam respexeris, illam iure Carolino non item, ut olim, ratione gentis vel ordinis habita, sed pro facultatum et bonorum cuiusuis modo, definitam videmus. Quorum scilicet patrimonium, praeter fundos et mancipia, quae banni nomine ciuibus numquam eripiebantur <sup>i)</sup>, sexaginta solidos non superabat, iis triginta: qui ultra quadraginta non possidebant, iis decem; qui viginti tantum in bonis habebant, iis quinque solidi exsoluendi et fisco inferendi erant <sup>k)</sup>. Ceterum quicumque aut castra, quae ipsi debuerant sequi, non sequendo; aut tributum, ad instruendos alios exsoluendum, non soluendo; in legos illas peccaverant <sup>l)</sup>, ii omnes, siue regis vasalli, siue ecclesiarum,

*mino obstante* *modo* *quod* *omnibus* *in* *castra*  
ibid. p. 347. Si quis liber contenta iussione nostra ceteris in exercitum pergentibus domi residere praesumserit, plenum heribannum secundum legem Francorum, id est solidos sexaginta, sciatur se debere componere. Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 1.

ibid. p. 493. Quicunque liber homo in hostem bannitus fuerit et venire contenserit, plenum heribannum id est solidos sexaginta persoluat.

<sup>h)</sup> Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 1. ap. Baluz. d. l. Si fides ha-

benda Benedicto Leuitae Lib. VI. Capit. c. 326. sequenti tempore infamiae poena immorigeros sequentia est.

<sup>i)</sup> Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 2. ap. Baluz. d. l.

<sup>k)</sup> Carol. Capit. II. d. a. 805. c. 10. ap. Baluz. Tom. I. p. 427.

<sup>l)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 2. ap. Baluz. Tom. I. p. 491. Et quicunque fuerit iuuentus qui nec parem suum ad hostem faciendum, secundum iussionem nostram, adiuvuit, ne-

procerumue regni homines, siue ex reliquorum ciuium numero essent <sup>m)</sup>), eodem modo mulctabantur. Et ne forte comitum seniorumue fauore aut auaritia quidam a legum seueritate eximerentur, statutum; vt non modo isti, qui consentientibus praefectis, contra legem domi remansissent, vel pretio militiam redemisset, heribannum soluerent, sed etiam patroni comitesue nimium indulgentes <sup>n)</sup>). Qui vero praefectorum iussu ab exercitu absfuerant, ipsi quidem immunes a multa euadabant, at eorum loco auctores contumaciae puniebantur <sup>o)</sup>.

*que perrexit, heribannum nostrum pleniter reuadet.*

<sup>m)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 5. ap. Baluz. d. l. *De hominibus nostris et episcoporum et abbatum — si aliqui inuenti fuerint qui domi remansissent, banuum nostrum reuadent.* Qui beneficiis a rege locupletati veverunt quidem, tardiores vero, iis per tot dies, quot post indictum tempus absfuerant, etcarne et vino abstinentem erat. Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 3. ap. Baluz. Tom. I. p. 494.

<sup>n)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 5. ap. Baluz. Tom. I. p. 491. *Si aliqui inuenti fuerint, qui pretio se redemissent, vel dominis suis permittentibus domi remansissent, banuum nostrum reuadent.* — Domini vero eorum, qui eos domi remanere permiserunt, vel ministeriales eorum, qui ab eis pre-

tiuum acceperunt, similiter bannum nostrum reuadent. Notandum hic venit Bochmerus; qui in *Dic. de iur. ex stat. mil. vet. Germ. pend.* C. I. §. 6. contra legum supra laudaturum fidem scripsit: *Quos iusta caussa impediens, pretio oportuit expeditiōnē redimere, — redemptio non minus quam poena omissae expeditiōnis heribannum vocatur.* Redemptio numquam permissa erat, nisi forte tributum illud, quod ad instruendos commitentes, a pauperioribus conferebatur, hoc nomine insigne velis. Nec tamen heribannum idem vocatur, nec ab iis, quos iusta caussa impediens, exigebatur.

<sup>o)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 812. c. 5. ap. Baluz. d. l. *Comes vel vicarius vel centenarius, per cuius iussionem ille remansit, banuum nostrum reuadet atque persoluat.* Carol. Capit.

Hinc ut fraudibus quonis modo obuiam iretur, heribanni exactio, ante Carolum iudicibus ordinariis haud dubie relecta, ab hoc imperatore hominibus certis, quos ad hoc in provincias mittebat, eorumque ministris, heribannatorum nomine insignitis, mandata est, ita quidem, ut vel tertia illa mulctae pars, quae comitibus, tamquam salario quoddam, cedebat, per regis legatos cogenda illisque tradenda esset p).

Neutiquam vero Carolus, cum, ut vidimus, tenuis sortis homines vel omnino a militia remouisset, vel, quantum posset, oneribus belli leuasset, reliquorum permisit arbitrio, quo quisque armorum, vestimentorum, victusque genere se instruere vellet, sed etiam haec singula adcuratius praescribenda putavit. Voluit enim, qui duodecim mansos possiderent, brumia armati adessent q); reliqui lanceam, scutum et arcum cum duabus cordis et duodecim sagittis secum adfer-

II. c. a. c. 9. ap. Baluz. Tom. I. p. 496. Si senior vel comes illius eum domi dimisit, ipse pro eo heribannum persoluat.

p) Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 2. ap. Baluz. Tom. I. p. 495. Ut non pro aliqua occasione — heribannum comes exactare praesumat, nisi missus noster prius heribannum ad partem nostram recipiat, et ei suam ter-

tiam exinde per iussionem nostram donet. Carol. Capit. III. d. a. 805. c. 5. ibid. p. 395. Eiusd. Capit. II. d. a. 805. c. 19. ibid. p. 427. Eiusd. Capit. IV. inc. a. c. 13. ibid. p. 532. Du Fresne v. heribannator.

q) Carol. Capit. II. d. a. 805. c. 6. ap. Baluz. Tom. I. p. 526. Omnis homo de duodecim mansis bruniam habeat.

rent <sup>r</sup>). Equitibus equus haud dubie alendus erat <sup>s</sup>). Praeterea vestimentis et victu quemque ita instructum venire oportuit, ut illa per sex, hic per tres menses sufficerent, ab eo inde tempore computandos, quo certos limites, pro domicilio cuiusvis vario, varios transiissent <sup>t</sup>). Si quis contra legem negligentius ad bellum

<sup>r</sup>) Carol. Capit. II. d. a. 813. c. 9. ap. Baluz. Tom. I. p. 503. Et ipse cōcōnes praeūdeant, quōmodo sint pārati, id est lanceam, scutum aut arcum cum duabus cordis et sagittis duodecim, c. 17. Quod nullus in hoste baculum habeat sed arcum.

<sup>s</sup>) Valde obscura sunt quae de militia equestri, parum tum tēmoris visitata, inueniuntur. Propriam eam fuisse cuidam militum ordinis ex Carol. Capit. d. a. 807. c. 7. colligimus, quo caballarii occurrit. Quinam vero equo mercere deluerint, nusquam legitur. In Pipin. R. I. Capit. d. a. 793. c. 36. ap. Baluz. Tom. I. p. 541. eorum mentio iniicitur, qui caballos habere possunt, et similiter in Carol. Calu. Capit. Tit. 36. §. 26. ap. Baluz. Tom. II. p. 186. occurunt pagenses Franci qui caballos habent vel habere possunt. Ex nostra qualicunque sententia, parum a vero aberraueris, si statueris, vasallorum quibusdam, equestrem militiam, cum caballariorum nomine, impositam fuisse. Quam quidem conjecturam Carol. Capit. d. a. 807. supra laud. iuare videatur, qua caballarii vasallis iunguntur.

tur qui beneficia habent. Quae Co-  
mes de Busat. *Les origines, ou l'an-  
cien gouvernement de la France de  
l'Allemagne et de l'Italie. Tom. III.  
p. 193.* de equitibus Francorum pro-  
fert, omni fundamento destituta  
esse, facile quisque intelliget, per-  
lecta ad quam ille prouocat legē.

<sup>t</sup>) Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 8. ap. Baluz. Tom. I. p. 495. idemque plenius expressum Lib. III. Capit. c. 74. ibid. p. 768. *Constitutum est,* ut secundum antiquam consuetudinem praeparatio ad hostem facienda indi-  
cetur et seruetur: id est virtualia de  
marchia ad tres menses, et armia atque  
vestimenta ad diuidium annum. Quod  
tamen ita obseruari placuit, ut his, qui  
de Rheno ad Ligerim pergunt, de Li-  
gere in antea ad tres menses compute-  
tur, et qui de Ligure ad Rhenum per-  
gunt, de Rheno in antea ad tres men-  
ses virtualia habere debeant. Qui au-  
tem trans Rheum sunt et ad Saxoniam  
pergunt, ad Albim marcham esse  
sciant. Et qui trans Ligerim manent  
atque in Hispaniam proficiunt debent,  
montes Pyrenaeos marcham sibi esse  
cognoscant.

instructus exierat, quatuor solidis multabatur <sup>v)</sup>; et si quis brumiam suam quam debebat non adulterat, ipsam, simul cum beneficio, quo forte auctus antea fuerat, amittebat <sup>x)</sup>.

Militibus heribannariis, in pagos, ut olim, descriptis, comites praeerant, in bello duces in pace iudices <sup>y)</sup>. Hi copias cogebant, easdem lustrabant, regique adducebant <sup>z)</sup>; in administrando munere opera centeniorum, vicariorum et aduocatorum suorum vsi <sup>a)</sup>. Nec tamen iisdem subiecti erant regis vasalli cum ecclesiarum procerumue regni clientibus. Illos enim regis legati siue missi, vti vulgo dicebantur, regebant, hos aduocati ecclesiarum ac, qui beneficia in eos contulerant patroni, in bello ducebant <sup>b)</sup>. Duces qui comi-

v) Carol. Capit. III. d. a. 815. c. 52. ap. Baluz. Tom. I. p. 514. Si quis cum armis bannitus fuerit et non veniret ibi solidos quatuor in fredo dominico compondere faciat.

x) Carol. Capit. II. d. a. 805. c. 6. ap. Baluz. Tom. I. p. 425. Qui vero brumiam habens eam secum non viderit omne beneficium cum brumia perdat.

y) Moeserus d. l. Abschlu. IV. §. 6. Th. I. p. 240.

z) Carol. Capit. II. d. a. 815. c. 9. ap. Baluz. Tom. I. p. 508. De hoste pergendi ut comiti in comitatu suo per bannum unum quenque homi-

nem per sexaginta solidos in hostem pergere bannire studeat, ut ad placitum deiniciatum ad illum locum ubi iubetur veniant. Cetera quae luc faciunt vid. supr. p. 57. not. r) expressa.

a) Du Fresne v. centenarius. Moscorus d. l. §. 7. p. 243. Praecept. Carol. pro Trutmi. com. d. a. 789. ap. Baluz. Tom. I. p. 250. Trutmannus comes — super vicarios et scabinos quos sub se habet diligenter inquirat et animaduierat ut officia sua sedulo peragant.

b) Carolus. Capit. II. d. a. 815. c. 9. ap. Baluz. d. l. Et episcopi co-

tibus praeescent, a Carolo, himiam eorum potentiam metuente, rarissime creatos, satis notum est. At vero, ne suo iure agerent magistratus regniue primores, legati per prouincias spectatum sunt dimissi, quorum curiae etiam res militaris commissa est. Hi libros censuales scribebant, centenarios aduocatosque comitum eligebant, ciues interdum ad arma vocabant, heribannum colligebant, suisque sub auspiciis et regis vasallos et ecclesiarum clientes, ad bellum exituros, contrahebant c).

mites abbates hos homines habeant, qui hoc bene praeuideant, et ad diem denunciati placiti veniant et ibi ostendant quomodo sint parati. c. 14. Ut episcopi et abbates aduocatos habeant, Capit. Exc. ex Leg. Long. c. 20, ibid. p. 352. Ut — qui terram ecclesiasticam vel colunt vel colandam suscipiunt, non a comite vel aliquo ministerio illius ad villam angariam seu seruitium publicum vel priuatum cogantur, vel compellantur, sed quidquid ab eis iuste agendum est, a domino vel patrono suo ordinandum est. Carol. Capit. III. d. a. 811. c. 8. ap. Baluz. Tom. I. p. 486. Sunt et alii qui remanent, et dicunt quod seniores eorum domi residenceant, et debent cum eorum senioribus pergere ubicumque iussio dom. imp. fuerit. Alii sunt qui ideo se commendent ad aliquos seniores quos sciunt in hostem non profecturos. Eiusd. Capit. d. a. 807. c. 3. ibid. p. 459. Omnes fide-

les nostri capitanei cum eorum hominibus ad condicium placitione veniant. Eiusd. Capit. I. d. a. 812. c. 1. ibid. p. 489. Ut omnis liber homo — ipse in hostem perget siue cum semore suo. Tum demum homines vallorum sub comitum auspiciis exire solebant, cum seniores, quin ipsi eos ducerent, prohibebantur. Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 7. ap. Baluz. Tom. I. p. 495.

c) Carol. Capit. III. d. a. 812. c. 5. ap. Baluz. Tom. I. p. 497. Ut missi nostri diligenter inquirant et describere faciant unusquisque in missatio, quid unusquisque de beneficio habeat vel quot homines casatos in ipso beneficio. Ludou. Capit. d. a. 829. c. 7. ibid. p. 672. Volumus atque invenimus, ut missi nostri diligenter inquirant, quanti liberi homines in singulis comitatibus maueant. Hinc vero ea diligentia et haec ratio examinetur per singulas centenas, ut ve-

Disciplina insuper admodum seuera omnes in exercitu continebantur. Sic, ut quaedam tantum commoremus, nemini militum suo ausu pabulari licuit, multo minus amicas exspoliare provincias <sup>d)</sup>. Ebrietati legibus obuiam itum <sup>e)</sup>. Caedi in exercitu commissae, mulcta triplex proposta <sup>f)</sup>: et, ne praefectorum inuidia insolentiaque forte felici expeditionis bellicae

raciter sciant illos atque describant, qui in exercitalem ire possunt expeditionem. Pinpin. R. I. Capit. d. a. 793. c. 36. ibid. p. 541. Nomina vel numerum de ipsis qui invaserunt ipsis missis in breve secum adportent. Carol. Cap. III. d. a. 803. c. 3. ibid. p. 593. Ut missi nostri scabinos, aduocatos, notarios per singula loca elegant. Eiusd. Capit. II. d. a. 805. c. 14. ibid. p. 452. De aduocatis et iudicibus comitum et omnibus publicis auctoribus, tales elegantur, quales sciant et relint iuste causas terminare. Et ubi mali inuenti fuerint, a missis nostris mittantur meliores. Eiusd. Capit. VIII. d. a. 805. ibid. p. 409. Reliqui vero, qui ad ecclesias remanent, suos homines, bene armatos, nobiscum, aut cum quibus iusserimus, dirigant. Eiusd. Capit. d. a. 807. c. 5. ibid. p. 459. Unusquisque missorum nostrorum per singula ministeria considerare faciat vnum de vasallis nostris et praecipiat de verbo nostro, et cum illa minore manu et carra de singulis comitatibus veniant, et eos post nos pacifice adducat. c. 7. Omnes hi qui in ipsa beneficia habent, una cum nostris missis veniant. Franc. De Roye. De missis dominicis e. e. Neu-

hausii. Lips. 1744. p. 259. seq.  
<sup>d)</sup> Capit. exc. e Leg. Long. c. 4. ap. Baluz. Tom. I. p. 349. Si quis messen eut annonam in hoste super bannum dominicum rapuerit, aut furatus fuerit, vel pauperit, aut cum caballis vastauerit, aestimato damno, secundum legem in triplo componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hae re componere cogatur. Carol. Capit. IV. inc. a. c. 6. ibid. p. 530. Ut nullus consentiat suis hominibus ad maleficendum infra patriam, de eo quod dicunt se non posse habere homines ad marcham defendendam si eos bene distinguant.

<sup>e)</sup> Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 6. ap. Baluz. Tom. I. p. 495. Ut in hoste nemo parem suum vel quemlibet alterum hominem bilgere cogat. Et quemcumque in exercitu ebrius inuentus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo sola aqua vitatur, quoisque se male fecisse cognoscat.

<sup>f)</sup> Lex Sal. Tit. LXVI. §. 1. ap. Canzian. Tom. III. p. 153. Siquis hominem in hoste occiderit, triplici compositione componat, sicut in patria componere debuit,

euentui esset impedimento, cautum, vt quicumque eorum parem suum, contra hostes communes in exercitum pergentem, dimisisset, et cum eo ire aut stare noluisset, honorem suum et beneficium perderet <sup>s)</sup>.

Si quis quaesuerit; vtrum sub Carolo militibus heribannariis tanta denuo dignitas et auctoritas tributa sit, vt, non nisi ipsis consentientibus, delectus haberi posset; id negandum videtur. Nam quamquam scriptores bellorum, in comitiis decretorum, saepius mentionem faciunt; tamen constat, hisce comitiis non nisi episcopos, abbates, comites ac primores gentis intersuisse <sup>k)</sup>: Carolum vero regem, pro summis, quibus pollebat, ingenii dotibus, quamvis alia omnia simularer, omnia gubernasse, verisimillimum videtur. Quid? quod? multae leges exstant, quae omnes, qui castra sequi debebant, semper paratos esse iubent, vt, quandocumque placuisset regi, exire possent <sup>i)</sup>. Aequo parum adfirmare velimus, quod Hegewischio <sup>k)</sup> placuit; non nisi ad

<sup>g)</sup> Carol. Capit. II. d. a. 812. c. 5. ap. Baluz. Tom. I. p. 495.

<sup>h)</sup> Carol. Capit. III. d. a. 805. c. 14. ap. Baluz. Tom. I. p. 595. De episcopis, abbatibus, comitibus qui ad placitum nostrum non fuerunt.

<sup>i)</sup> Carol. Capit. I. d. a. 802. c. 34. ap. Baluz. Tom. I. p. 575. Ut omnes pleniter parati sint, quandocumque iussio nostra, vel adnuntiatio, venerit. Eisusd.

Capit. II. ei. a. c. 15. ibid. p. 576. Ut omnes praeparati sint bene, quandocumque iussio nostra venerit. Eisusd. Capit. I. inc. a. c. 52. ibid. p. 519. Ut omnes parati sint, quandocumque domini imperatoris iussio venerit.

<sup>k)</sup> D. H. Hegewisch *Geschichte der Regierung Kaiser Karl d. G. Hamb. 1791. Cap. V. p. 293.*

patriam defendendam, neutiquam ad arma hostio  
inferenda, obligatos fuisse heribannarios milites. Ut  
enim taceamus, quae supra, ex legum fide, de Saxonibus  
monita sunt <sup>l)</sup>, eos et in Hispaniam et in Auaratiam  
proficiscentem cum exercitu impératorem sequi debu-  
isse; quis credat, bella, contra Longobardos, Auaros,  
Saxones, aliosque potentissimos populos suscepta, sola  
vasallorum ope, profligata esse? Nec denique, quod  
vasallis postea concessum esse nouimus, ad certum  
tempus restrictam tum fuisse ciuitum militiam, facile  
nobis persuaderi poterit: nihil enim de hac re in anti-  
quis monumentis memoriae proditum inuenimus, et  
plura expeditionum bellicarum, quas per hiemem adeo  
Carolus protraxit, exempla, quo minus istud credamus,  
vetant. Quin capite puniti, ipsorumque bona publi-  
cata, qui, venia principis haud impetrata, exercitum  
reliquerant <sup>m)</sup>.

Quae quidem omnia, a Carolo sapientissime insti-  
tuta, Ludouici, filii eius, legibus firmata ac repetita  
sunt; simul autem summa huius principis imbecillitate

<sup>l)</sup> p. 43.

<sup>m)</sup> Carol. Capit. d. a. 801. ap. Baluz. Tom. I. p. 347. Si quis adeo  
sontumax aut superbus extiterit, ut, di-  
misso exercitu, absque iusu vel licentia  
regis, domum reuertatur; et quod nos

teudisca lingua dicimus herisliz fecerit,  
ipse ut reus maiestatis vitae incurrit  
periculum, et res eius in fisco nostro  
socientur. Idem firmatur: Eiusd. Ca-  
pit. d. a. 812. c. 4. ibid. p. 494.

factum, ut seditionum, turbarum et bellorum ciuilium,  
quae sub eius et successorum imperio inualescebant,  
multitudine, eadem perturbata ac sensim sensimque  
plane euersa et immutata negligenter ac contemne-  
rentur. Comites enim ceterique militum praefecti, mu-  
nera ipsis commissa, tamquam hereditario iure accepta,  
postoris relinquere coeperunt. Idem incauta regum  
liberalitate opibus et potentia adacti, nec missorum  
auctoritate, quam susque deque habebant, refrenati,  
publicam salutem negligebant, et suis tantummodo  
commodis inseruebant. Multos ciuium, datis beneficiis,  
reddebat suos: plures perpetuis exactiōnibus, quibus,  
sub heribanni specie, pagenses defatigabant ac bonis  
ipsaque libertate priuabant, ut vel in ipsorum, vel in  
episcoporum aliorumue potentiorum clientelam sese  
reciperent, cogebant. Praeēuntibus enim clericis, a  
regum facilitate et hoc impetrarant, ut vel in ipsorum vassalli  
ac clientes ab heribannariae militiae onere plane libe-  
rarentur. Sic breui factum, ut, paucis illis, quibus pa-  
triae aduersus externos hostes defensio iam solis incum-  
beret, impari certamine maximam partem absumtis,  
despectuique insuper habitis, heribannarii milites vix  
vmquam euocarentur, ipsisque regibus, quorum sola  
spes in vasallorum auxiliis iam erat posita, conniuenti-

bus, sensim sensimque clientelaribus hisce cohortibus,  
tantum non omnes, inimiscerentur.  
<sup>sup</sup> Fusius qui forte heribanni post Carolum fata ex-  
posita legere cupiat, is adeat Moeserum <sup>n)</sup>: nobis, qui-  
bus actum agere nec libet nec licet, paucis eadem in-  
digitasse sufficiat.

Constitueramus quidem, quae de heribannariae  
militiae vi in iuribus successionum regendis, in ordinib-  
us ciuium Germanicorum formandis, in iurisdictione  
patrimoniali constituenda, aliisque compluribus iuris  
nostrri capitibus effingendis, nobiscum meditati era-  
mus, in altera opusculi huius sectione, exponere do-  
ctorumque virorum iudicio, per hanc scribendi oppor-  
tunitatem, subiictere. At, cum haec materia sit vberior  
quam quae paucis absolu queat, ne limites libello aca-  
demico praescriptos transgrede emur, hic subsistendum,  
et quae restant in aliud tempus differenda esse arbit-  
rati sumus.

<sup>n)</sup> Moeserus d. l. Th. I. Ab. — 44. p. 376. seq. Th. II. Abschn. III.  
schn. V. §. 26. 27. p. 343. seq. §. 36. §. 1. 2. p. 174. seq.

IOANNES CONRADVS SICKELIUS  
STEPHANO CAROLO RICHTERO

S V O

S. P. D.

*Non esse puto, quod aut de mutuo ac fraterno fere  
ambre, qui inter nos, ipsa sanguinis cognatione con-  
iunctos, a tenera inde aetate intercessit, hic multa  
dicam; aut pluribus verbis exponam, quantam percep-  
perim laetitiam vel ex adsidua illa et incredibili paene  
diligentia, quam, ut omnium bonarum litterarum et  
artium, ita iurisprudentiae maxime studiis impendisti,  
vel ex hoc ipso libello, quem iam virorum doctorum  
iudicio subiecisti, cuiusque defendendi me socium esse  
voluisti. Neque enim his verborum ambagibus nostram  
amicitiam indigere arbitror. Id unum haec mihi scri-  
benti fuit propositum, ut publice testificarer, totum  
huncce libellum esse Tuum, Tuoque Marte elaboratum,  
measque in eo componendo haud alias fuisse partes,  
nisi vt quedam, quae pro instituti ratione nimis fuse*

explicata videbantur, in arctius contraherem; paucis-  
sima adderem. Spero, quin confido, fore, ut hoc Tuum  
opusculum, haud vulgaris diligentiae monumentum, vti  
mihi sane est probatum, ita et viris me doctioribus  
haud improbetur: omnemque calculum ferat tum, cum  
alteram eius sectionem, hac multo grauiorem, publici  
iuris facere Tibi placuerit. Ex animo itaque Tibi  
gratulor hoc eruditionis ingeniique acuminis specimen,  
cuius publica defensione nouas, scio, neque illas exi-  
guas, laudes Tibi es paraturus; vehementerque opto,  
ut idem viam Tibi aperiatur, qua, strenue progressus,  
quaevis praemia, Tuis laudibus digna, aliquando adse-  
quaris. Gratulor Patri Tuo, seni venerando, quem  
pietatis caussa nomino, Te filium, cuius ille virtute  
laudibusque solidum potest gaudere gaudium. De me  
vero sic habeto, nec mihi esse Te iucundius quidquam  
nec carius. Ita vale, meque, quod facis, ama! Scripsi  
in uniuersitate litterarum Lipsica a. d. xix. Ian.

A. P. C. N. MDCCXCVIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-692627-p0056-8





**ULB Halle**  
003 084 051

3




*Sb.*

*Vd 18*



10353<sup>a</sup>  
B.I.G.



DE  
VI MILITIAE  
VETERVM GERMANORVM  
HERIBANNARIAE

IN IVRE GERMANICO PRIVATO CONSPICVA  
EXERCITATIO PRIMA

SCRIPSIT

E T

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
IOANNE CONRAD O SICKELIO

I. V. D.

A. D. XXIV. JANVAR. A. P. C. N. MDCCXCVIII

AD DISPUTANDVM PROPOSIT

STEPHANVS CAROLVS RICHTERVS

LIPSIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS EXSCRIPSIT CAROLVS TAVCHNITIVS.